

tium Beneficium simplex, etiamsi de Jurepatronatus, non posse retinere cum duobus aliis absque Sedis Apostolicæ dispensatione. » (91. Episcopus non potest Beneficiatis addere nova onera in fundatione non apposita, aut a Sacris Canonibus non imposita; Barbosa, supra Conc. Trident., cap. 5, sess. 25, de Reformat., num. 7. Ricc., in Prax. p. 4, resolut. 468, num. 2, ubi hoc ampliat, etiamsi aliquo tempore ex sua voluntate præstiterint; Garcias, de Benefic., p. 7, cap. 1, num. 111 et 112. Fagnan., in c. Conquirente, n. 24 et 25, de Cleric. non resident., et etiamsi consensus Canonicorum antecessorum intercessisset; Ricc., loc. cit. resolut. 463, per tot. Sacr. Congreg. Concil. in Sarnen. 3 Junii 1690, in qua responsum fuit, Episcopum non potuisse addere onus Pœnitentiariæ Canonici erecto per Testatorem cum solo onere Missarum et in Asten. 14 Februar. 1699, in qua fuit responsum, onus personalis residentiæ, et celebrationis Missarum per se ipsum a Fundatore non injunctum non potuisse addi per Executorem testamentarium, neque in provisione Episcopi.

(92. Episcopus non potest primam præbendam vacantem assignare pro Pœnitentiario, quamvis in loco videretur magis necessarius, sed prius debet erigi Theologalis propter verba Concil., sess. 5, c. 1, de Reform. Si tamen in aliqua Civitate fuerit judicatum magis expediens, ut prius de Pœnitentiario quam de Theologo provideatur, habenda est confirmatio a Sede Apostolica ad omnem difficultatem tollendam; Sac. Congregat. Concil. in Civitatis Castellane 17 Novembris 1629. (93. Episcopus non potest conferre Canonicatus Pœnitentiariæ, et Theologalis nisi per viam concursus ex novissima dispositione Benedicti XIII, in Constit. incipiente *Pastoralis*. (94. Episcopus non potest sine consensu Capituli Canoniceum de novo erigere; Sacra Congregat. Concil. in Clodien. 3 Julii 1608, in Aquinaten. 20 Februar. 1677, in Mazarien. 20 Septembr. 1694, et in Sabin. 14 April. 1696.

(95. Episcopus non potest transferre in Cathedrali Capellanos habentes servitium Chori in Capella prope Cathedrali existentem ob parvum numerum Capellanorum, propter quod minus decenter ibidem Chorus retineatur; Sac. Cong. Concil. in Burgen. 12 Augusti 1618. (96. Episcopus non potest ad privationem procedere ob non susceptos Ordines contra Canonicos suæ Ecclesiæ absque solemnitate a Concilio requisita. Sic decisum fuisse a Sacra Cong. Conc. refert Aldan., in *Compend. canon. resolut.*, lib. 3, tit. 2, num. 123. (97. Episcopus non potest cogere, sed hortationibus invitare Clericos, et Presbyteros non Confessarios ad interessendum conferentiis casuum conscientiæ. Sic pluries declaravit Sac. Cong. Conc. et novissime in Civitat. Plebis 15 Mart. 1692, in qua collatis decretis, quæ ad invicem videbantur pugnare, ad dubium propositum: « An Episcopus possit compellere Canonicos Confessarios, cæterosque

presbyteros Cathedralis sub pœna pecuniaria, ut accederent ad Congregationem casuum conscientiæ? » Responsum fuit « posse compellere omnes Sacerdotes sæculares Confessarios, etiamsi Canonici sint; cæteros autem hortari. » Hæc resolutio, quæ cum antiquis decretis relatis a Pignatell., consult. 18, tom. 8, a Panimoll., decis. 1, annot. 18, num. 20, concordat, fuit deinde confirmata a Congr. particulari deputata in Vigilien. Synodi 20 Maii 1699, in responsione ad 35 decretum, et iterum in Cong. Generali in Ariminen. 18 Julii ejusdem anni, et prius in alia S. Angeli Bisacciarum 15 Aprilis 1690.

(98. Episcopus, atque Prælati, et Superiores Monasteriorum Monialium clausuram ingredi non possunt, nisi in casu necessitatis, et non nisi sociati a paucis senioribus, Ecclesiasticis viris. Sic expresse Gregorius XIII. in Constit. incipiente *Dubiis*; ubi volens declarare dubium exortum super intelligentia alterius suæ Constitutionis incipientis *Ubi gratia*, sic ait: « Constitutione item nostra fuit provisum, ne cui in posterum nisi in casibus necessariis septa Monasteriorum Monialium ingrediendi concederetur licentia, a nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officii nituntur, an liceat eis pro libito suæ voluntatis hujusmodi septa ingredi, vel potius servare debeant ipsi quoque regulam a Concilio præscriptam. » Hæc in præmio, et in dispositiva: « Nos omnem hæsitacionis materiam tollere, et viam scandali præcidere, ac Sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes tam sæculares quam Regulares, quibus cura, et regimen Monasteriorum quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta, ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis, et a paucis, iisque Senioribus, ac Religiosis personis comitati, » etc., et etiam expressum in Jure, ut in c. *Ut juxta 17, de Offic. Ordinarii*, et in Clementina *Attendentes, de statu Monachor.* § *Ipsos autem*, et declaratum a Sac. Cong. Episcopor. et Regular. in Gallipolitana 22 Maii 1613. his verbis: « Congregatio decrevit, Episcopum non nisi in necessitatis articulo, et gravibus, maturæque ætatis Ecclesiasticis personis associatum Monasteriorum septa ingredi posse, » et eadem repetit Gavant. in *Manual. Episcop.* verb. *Monialium Clausura* num. 46. ubi ait: « Quibus cura est Monialium, non possunt ingredi, nisi in casibus necessariis, cum paucis senioribus, ac Religiosis viris. » (99. Unde non potest Episcopus secum ducere ullos Laicos tamquam comites, et socios, solum quia sint sui, aut alicujus Monialis amici, aut videre curiosi; c. *Ut juxta 17, de Officio Ordinarii*, ibi: « Firmiter inhibemus, ut nullus de cætero secularis... secum Visitationis tempore introducat » et cit. Constitut. incipient. *Dubiis*, ibi: « A paucis, iisque senioribus, et Religiosis personis comitati. »

(100. Nec valet objicere, quod dicta Cle-

mentina *Attendentes, de statu Monachor.* § *Ipsos autem*, loquitur simpliciter « de aliis viris honestis, et maturis, » et non distinguit, an debeant esse Clerici, vel Laici? Non valêt, inquam, quia licet id non declaravit dicta Clementina, declaravit tamen ex post Gregorius XIII. in dicta Constit. incipiente *Dubiis* per allata verba, et Sacra Congregatio Episcopor. et Regular. in relata Gallipolitana, quæ etiam alibi semper prohibuit Laicos ullo modo intervenire Visitationi Monasteriorum Monialium, ut in Tarvisina 20 Novembris 1601, quæ habetur in originali registro fol. 103. etiamsi essent Officiales, seu Sanctesii ejusdem Monasterii; ut in Genue. 16 Januar. 1407. in registr. fol. 2 et 3. et in Lucana 22 Januar. 1616. fol. 15. ut refert Fagnan. in cit. cap. *Ut juxta 17, de Offic. Ordinarii* num. 22. (101. Si tamen Episcopus occasione ingressus ad succurrendum necessitati, vel ad promovendam utilitatem Monasterii, indigeret consilio et auxilio alicujus periti Laici, tunc posset unum, aut plures secum ducere ad talem solum finem, quia tunc Laicus non tanquam comes, et socius ingrederetur, quod est prohibitum, sed tanquam Peritus necessarius, prout deducitur ex alia ejusdem Sacræ Congregat. resolutione emanata 18. Februar. 1593. quam refert, et originaliter in Archivio Tragurien. servari testatur Pax *Jor. Elucub.* t. 2. l. 7. tit. 12. n. 103. in qua sic habetur: « Nel visitare i Monasteri delle Monache entrino con V. S. o suo Vicario solamente persone Religiose, ed oneste secondo la Bolla di Pio V. e non v'entri alcun Laico se non quando l'Ordinario lo giudicasse necessario per alcun giusto rispetto. »

(102. Numerus personarum qualitates requisitas habentium, quas Episcopus potest secum introducere in Clausuram Monialium, quamvis in d. Constitutione Gregorii XIII. non sit determinatus, tamen non debet esse major quam octo, ut recte resolvit Fagnan. in cit. cap. *Ut juxta* num. 30. his verbis: « Pondera primo, nam in declaratoria Gregorii non determinatur numerus personarum, quas Prælati possunt secum ducere intra septa Monasterii Monialium, determinatur tamen in præcitata Clementina *Attendentes, de statu Monachor.* a qua Constitutio Gregorii recipit interpretationem passivam juxta text. in l. 2. Cod. *de Noxali*. (103. Unde si Visitatores introducerent plures, quam octo ibi (id est in d. Clementina) præfinitas, utique pœnas constitutionis non evaderent, et hoc planum. » Nam, ut ipse Fagnanus num. 31. et seq. probat, cum significatio illius verbi *paucis* in jure sit varia, non valet restringere dictum numerum, sed arbitrio judicantis relinquitur, ut notat glossa in cap. *Cupientes* § *Ceterum*, in verb. *Contradicentium paucitas, de Election.* in 6. et in cap. *Statutum* § *insuper*, in verb. *Paucis, de Rescript.* in 6. Arbitrium vero ad Juris correctionem non extenditur, cum potius debeat a Jure regulari, ut notat Bart. in Extrav. *Ad reprimendum*, in verb. *Videtur*

num. 8. Cæsar. de Grass. decis. 7. num. 7. et decis. 8. num. 2. et 4. *de Sentent. et re judic.* Rota pag. 7. recent. decis. 264. num. 1. Unde cum in d. Clementina *Attendentes*, præfixus sit numerus ad octo personas, talis numerus est attendendus, etsic intelligendo verba illa « a paucis comitati, » declaratoria Gregorii est conformis prædictæ Clementinæ *Attendentes*, et in specie quod pauci dicantur octo, notat Bartol. in leg. *Scire etiam oportet* num. 1. ff. *de Excusat. tutor.*, et concordare videtur Pirhing. l. 1. decr. t. 31. *de Offic. Ordin.* n. 98. vers. *Notandum tertio*, ubi loquens de eadem re concludit sic: « Verum Constitutio hujus cap. locum tantum habet, quando visitantur Monasteria virorum; in visitatione vero Monasteriorum Monialium servandum est quod statuitur in Clementina 2. § *Ipsos autem* Visitatores, de statu Monachorum: ubi definitur numerus admittendorum tempore visitationis Monialium, » etc. Ex quibus recte refert Monacell. tom. 3. tit. 1. formul. 41. num. 16. quod Episcopus, et quilibet alius Prælati Visitor excedens dictum numerum octo, pœnas Constitutionis Gregorii incurrit; qui vero dicto numero contentatur, legem non lædit, qui autem utitur minori, melius facit.

(104. Episcopus contrafaciens dispositioni dictæ Constitutionis Gregorii XIII. incipient. *Dubiis*, pro prima vice incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, pro secunda incurrit suspensionem a munere Pontificali et a Divinis, et pro tertia, ac deinceps incurrit excommunicationem ipso facto absque alia declaratione, textu expresso in dicta Constitut. ibi: « Quod si contrafecerint, eadem auctoritate statuimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qui contrafecerint ab ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secunda a munere Pontificali, et a Divinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere. » (105. Absolutio tamen ab istis Censuris, in qua incidit Episcopus, qui sui auctoritate officii septa Monasterii Monialium ingreditur, non servata forma dictæ Constitutionis Gregorii XIII, non est Papæ reservata, unde potest ab inferiore absolvi, cum Pontifex absolutionem sibi non retinuerit, ut late probat Fagnan. in c. *Nuper.* 20. *de Sentent. excomm.* num. 38.

(106. Episcopus nequit delegare simplici Sacerdoti facultatem benedicendi Sacra paramenta, nisi ad hoc habeat speciale privilegium Sedis Apostolicæ, a qua tamen interdum conceditur personis in Dignitate Ecclesiastica constitutis, dummodo in eis non sit adhibenda sacra unctio, vel oleum Sanctum, quæ ab ipso tantum Episcopo ordinato, et consecrato benedicenda, inungenda, et consecranda sunt, ut censuit Sac. Rit. Congr. in Brixien. 9 Octobris 1616, in Imolen. 4 Novembris 1615. in Januen. 12 et 14 Maii 1619. in Saonen. 3 Dec. 1616. in Taurinen. in Pistorien. et Tarvisina 2 Maii 1619. in Novarien. 21 Martii 1620. in Tridentina 7

Augusti 1621. et in Caputaquen. 20 Julii 1730. Et de facto hæc facultas benedicendi paramenta et Ecclesiastica ornamenta, et vasa, in quibus non adhibetur sacra unctio, fuit concessa diversis Archidiaconis, Decanis, Archipresbyteris, aliisque personis Ecclesiasticis a Sac. Congr. Rit. et signanter in Aquileiens. 20 April. 1599. in Elven. 17 Maii 1600. in Laudunen. 27 Januar. 1603. in Zamoren. 15 Novembris 1630. in Meten. 18 Novembris 1606. in Ruthen. 9 Maii 1609. in Augustana 12. April. 1614. et in Gnesnen. 4 Septemb. 1623. quod clare denotat, non posse Episcopum hanc facultatem concedere sine speciali privilegio Sedis Apostolicæ.

(107. Episcopus non potest recipere munera occasione receptionis habitus, seu emissionis Professionis Monialium. Clemens VIII. in Constitut. de largitione munerum incipient. *Religiosæ Congregationes*, et expresse Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Averšana 22 Januarii 1591. his verbis: « Non liceat Episcopis, cum Novitiæ vestiuntur, vel professionem emittunt, a propinquis, vel ab alio quocunque dona tam comestibilia quam linea etiam parvi valoris accipere, neque ab Abbatissis in ingressu Officii, sed ab eisdem comestibilia tantum in aliquibus solemnitatibus nomine totius Monasterii, etiamsi antiquissima inoleverit consuetudo, et Taxa Innocentiana. » (108. Episcopus, et quilibet alius Superior Ordinarius in his transgressor juxta tenorem dictæ Constitutionis Clementis VIII. tenetur ad restitutionem, quatenus munera non comestibilia, et præter formam alterius Bullæ Urbani VIII. incipient. *Nuper a Congregatione moderatoriæ*, et declaratoriæ, et confirmatoriæ illius Clementis VIII. recipiat, adeo ut neque a Summo Pœnitentiario (si munus summam scutorum decem excedat) absolvi possit, nisi facta restitutione, prout patet ex novissima Constitutione Innocentii XII. declaratoria facultatis Cardinalis Pœnitentiarii emanata tertio nonas Septembris 1692. incipient. *Romanus Pontifex*, in qua § 17. sic expresse habetur: « Munera a Regularibus contra recolen. mem. Clementis Papæ VIII. pariter prædecessoris nostri anno Incarnationis præfata 1594. tertio decimo Kal. Julii editam Constitut. ultra valorem decem scutorum monetæ recipientes, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ante factam restitutionem non absolvat, nec mandet absolvi. Infra vero prædictum valorem, non nisi facta arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarii, seu per eum eligendi Confessarii elemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, qui de Jure facienda esset restitutio, si caute fieri potest, erogetur, absolvat, seu mandet absolvi. »

(109. Episcopus, qui habet congruam pinguem excedentem taxam a Concilio præscriptam, non potest exigere caritativum subsidium. Sac. Congr. Concil. in Gerunden. 17 Februar. 1663. et Sac. Congr. Episcop. in Policastrins. 19 April. 1697. (110. Episcopus non potest prohibere, quod Judices Synodales, aut Capitulum non valeant uti

opera alterius Notarii, quam Cancellarii Episcopalis, præterquam in visitatione. Sac. Congr. Episcop. in Neritonens. 15 Octobris 1613. (111. Immo nec etiam quoad Moniales pro instrumentis Depositorum dotialium; possunt enim talia instrumenta rogari a quolibet Notario ad arbitrium Monialium, dummodo exhibeatur copia authentica in Cancellaria Episcopali Sac. Congr. Episcop. in Aquilana 8 Novembris 1652. (112. Quinimmo nec pro conficiendis instrumentis censuum, et aliorum quorumcumque contractuum. Sac. Congr. Episc. in Forosempromen. 20 Maii 1661. (113. Episcopus, sive ejus Delegatus, non potest pro revisione computorum locorum piorum, mercedem, seu propinam exigere, sed gratis hoc munus tenetur implere, non obstante quacumque contraria consuetudine, prout mandat Taxa Innocentiana; et ratio clara est, quia Ordinarius habet redditus mensæ, ut onera officii sustineat; cap. *Statutum, de Rescript.* in 6. ubi plane Passerin. § *Si quid autem* a n. 369. cum seqq. et sic Sac. Congregat. Concil. in Panormitana 4 Martii 1690. (114. Episcopus non potest pro administratione Sacramenti Confirmationis in locis Diocesis procuracionem exigere. Sac. Congr. Episcop. in Amalphantana 12 Junii 1694. et Sac. Congr. Concil. in eadem Amalphantana 18 Julii 1699. in responsione ad secundum: Et taxa Innocentiana his verbis: « Non potrà essigere emolumento alcuno, così in denaro, come in qualunque altra cosa in tutto quello, che riguarda l' amministrazione de' Sacramenti. » (115. Episcopus non potest taxare in pecunia id, quod pro victu necessario sibi contingeret visitando, sed victualia tantum recipere debet, neque alia utensilia, vecturas equorum, et expensas prætere, quia nomine *victualium* veniunt tantum ea, quæ consistunt in victu. Sac. Congr. Concil. in Larinen. 12 Aprilis 1698. et in d. Amalphantana 18 Julii 1699. in responsione ad tertium.

(116. Episcopus non potest concedere nec permittere, ut Confessarii ingrediantur Clausuram Monialium pro funere peragendo; Constitutio enim Alexandri VII. incipiens, *Felicitis*, specificat actus ad licitum ingressum in Clausuram, adjecta dictione *nisi*, quæ est exclusiva cæterorum per Sperellum dec. 66. num. 32: unde cum ibi Pontifex inter casus ad licitum ingressum non enumeret nisi sequentes scilicet: « Nisi ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis ministranda Monialibus, vel aliis personis infirmis, ibi degentibus, nec ad commendandam animam Agonizantium: » ingressus pro funere agendo videtur aperte prohibitus, et sic jam expresse decrevit Sac. Congr. Episcop. 10 Martii 1577. et 30. Januar. 1582. et 4 Septemb. 1583. ubi semper respondit non permitti, nec licere Confessario ingredi in Clausuram pro funere agendo in sepulturam Monialium. Neque consuetudo excusat a Censura inflictâ adversus violatores clausuræ, nec ab ea, quæ habetur in d. Constitut. Alexandri VII. qui omnibus, et

singulis etiam consuetudinibus, quoad ea, quæ statutis in d. Constitutione adversantur, expresse, et specialiter derogat, sublata cuilibet facultate, et auctoritate aliter judicandi, et interpretandi, ac adjecta clausula Decreti irritantis, et sic tenent Pax Jordan. tom. 2. lib. 7. tit. 12. n. 28. vers. *Item neque prætextu*, et n. 173. Nicol. in *Flosc.* verb. *Sepultura* n. 6. Monacell. tom. 1. tit. 9. formul. 4. n. 7. 8. et 9. Matthæuc. *Officialis Curie* cap. 13. n. 9. et alii passim. (117. Episcopus non potest permittere, quod Puellæ educandæ recipiantur in Monasterium, nisi sint Sacræ Congreg. licentiæ suffultæ. Sac. Congr. Episcop. in decreto Generali emanato 17 Maii 1603. his verbis: « Nullatenus permittant Episcopi Puellas educationis causa in Sanctimonialium Monasteria introduci, nisi Sacræ Congregationis licentia suffultas. » Et si alicubi reperitur introducta aliqua Puella educationis gratia absque licentia Sacræ Congr., Superior aut Episcopus, qui id permiserit, esset incursus excommunicationem, prout Sac. Cong. 9 Augusti 1594. monuit Archiepiscopum Pragensem, qui hoc attentaverat.

(118. Episcopus non debet auferre Monialibus jus, quod habent, eligendi Officiales; libertas enim tales Officiales eligendi non est ab eis auferenda, neque ad certas personas coarctanda, quoties electio fiat de personis ætate, moribus, et experientia habilibus, ut declaravit Sac. Congr. Episc. in Surrentina 31 Januar. et 12 Maii 1717. et in Januen. 12 Junii 1693. (119. Neque debet, et potest Episcopus tale jus auferre a Laicis, qui illud habent. Sac. Congr. Episc. in Surrentina 4 Novemb. 1698. in qua præterendente Archiepiscopo nominationem Deputatorum Monasterii Monialium SS. Trinitatis per Magistrum Civitatis (ad quem jus nominandi spectabat) factam non admittit, eosque ad libitum removere, ac administrationem reddituum ejus impedire, et prohibere, partibus auditis prodiit rescriptum: « Nominationem Deputatorum faciendam esse a novo Syndico Civitatis, et electis competere administrationem cum superintendencia Archiepiscopi ad formam Concilii » c. 8. et 9. sess. 22. (120. Episcopus non debet, nec potest cogere simplices Sacerdotes, qui non habent Officium, neque Beneficium in Ecclesia Cathedrali, ut inserviant ibi in functionibus Ecclesiasticis, seu munere Diaconi, et Subdiaconi in Missis cantatis, non obstante exiguo numero Canonicorum, ut pluries declaravit Sacra Congr. Concil. apud Nicol. *Lucubrat. can.* lib. 1. n. 3. et 4. et in Sarnen. Servitii Ecclesiæ 17 Junii 1690. in Nullius S. Laurentii in campo 27 Januar. 1691. in Auximana 26 Novembr. 1701. et 19 Augusti 1702. et in Signina 15 Novembr. 1703. Et de simplicibus Sacerdotibus, quod non valeant compelli ad interessendum, et assistendum functionibus Ecclesiasticis in Cathedrali: adest resolutio Sac. Congr. Episc. in una Castri Maris 20 Martii 1692, emanata partibus informantibus ad relationem clar. mem. Card. Petrucci, nisi adsit contraria

consuetudo. Sac. Congr. Concil. in Trojana 20 Septembr. 1704. et in Bellicastrens. 11 Augusti 1706. (121. Episcopus non debet Clericis permittere ludum alearum, quia cap. 1. dist. 38. et c. penult. *de Vita et honest. cleric.* Canones ludum alearum Clericis prohibentes, fuerunt a Concilio Tridentino sess. 22. c. 1. *de Reform.* expresse innovati, ibique abrogantur consuetudines contrariæ, et injungitur Episcopis, ut iis non obstantibus, Canones quoad hoc observari faciant. (122. Unde a fortiori non debet Episcopus ipse aleis ludere. Monacell. tom. 3. titul. 2. formul. 6. n. 16. et alii passim. (123. Quid non possit, nec debeat Episcopus quoad Regulares et Moniales. Vid. verb. *Regularis*, verb. *Monialis*.

(124. Episcopus nequit prohibere Clericis ne conveniant Laicos in causis profanis coram Judice Laico. Sac. Congr. Immun. in Tudertina 20 Decemb. 1667. l. 1. decret. Altov. pag. 183. Vide apud Riccium in Synops. verb. *Prohibitio* per tot.

ADDITIONES AUCTORIS.

(125. Episcopi jurisdictioni, visitationi, et correctioni subsunt omnes animarum curam gerentes, vel Sacramenta administrantes in Ecclesiis Regularium, in iis quæ ad dictam curam et administrationem pertinent. Quod intelligitur de jurisdictione ordinaria, non vero delegata. Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 109. incip. *Firmandis* § 2. (126. Hinc fas est Episcopo in Pastoralis visitatione talium Ecclesiarum, inspicere Altare illud; in quo Tabernaculum SS. Eucharistiæ tenetur; item Fontem Baptisterii, confessionale Parochi, pulpitu, e quo Parochus jus habet annuntiandi verbum Dei, Sacrarium, in quo servatur sacra supellex ad Sacramenta ministranda, Sepulcrum, Cœmeterium Parochiæ; Turrim etiam campanariam si adsint campanæ ad Parochiam spectantes; ac demum sacra vasa, in quibus particulæ consecratæ asservantur, vel sacra olea Baptismi, et extremæ Unctionis; demum pilam aquæ Benedictæ.

(127. Episcopus cognoscere potest de vita, et moribus Parochi Regularis, iis exceptis, quæ pertinent ad observantiam Disciplinæ Regularis. Idem *ibid.* § 8. (128. Delinquentem Parochum Regularem corrigere potest, in quo cumulativam jurisdictionem habet cum Superiore Regulari, et quidem cum præponderantia. Idem *ibid.* § 10. (129. Et ipsum removere etiam potest absque consensu Superioris Regularis. Idem *ib.* § 20.

(130. Episcopi consensus, et approbatio necessaria sunt, ut Regularis animarum Curam assumere queat. Idem *ibid.* § 11. (131. Etiam in Ecclesiis ab ipsius jurisdictione, et visitatione exemptis, ratione residentie ordinariæ Superioris Generalis. Idem *ibid.* § 16.

(132. Episcopi Cardinales Episcopatum suburbicariorum plenam, et privativam jurisdictionem habent in prima instantia in suos subditos intra fines suarum Diocesium.